





DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS,

DE

TABACI EFFECTIBVS
SALVTARIBVS ET NOCIVIS,

QVAM,

DEO T. O. DVCE ET AVSPICE,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSULE,

AVTORITATE ET DECRETO INCLYTÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN HAC PER-ANTIQA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. IVONIS JOANNIS STAHLII,

EMINENTISS. ET SERENISS. ELECT. MOG. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM.
CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD.
N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSVL.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVTOR ET RESPONDENS

JOANN. GOTTLIEB TIEROFF,

Röbendorff. Varisc.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGH MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXVII. MARTII A. R. S. M DCC XXXII.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogt.

fecturam
i huc anti
ederem se jam
riundas esse
onia. Trepid
i i.e. ficuln
ra physica p
ectu temp
; frigus
& artus
a remedi
m ex refu
perientia
qui sensum
alterum d
ultra renit
colorem m
la sunt allat
concretos pe
re, nam ip



INSTITUTIONE
TABACI ET CIGILLI
SALVATERRIS MONTANIS

RECTORI UNIVERSITATIS MONTANAE
DNI TORIS JAC. RENNHAUTH
MAGISTRO IN MEDICINA

DND. JOHANNIS STANI H.
PRO LICENTIA
STUDII IN ART. MEDICA HONORIS ET BENEFICII
DOCTORALIS LEGITIME OBTINENDI
JOHANN GOTTLEB TIERPFF





PROÆMIUM.



Multos fore arbitror, qui, dum
Inscriptionem hujus Disserta-
tionis inspicient, vix operæ
pretium esse putabunt, de re
tam vulgari, ceu omnibus
nota, & quæ ad vulgi potius
delectamenta, quam medicam pertineat confi-
derationem, Publicam instituere Disquisitio-
nem. Quibus ego, quid me moverit, breviter
exponere consultum duco, ut intelligant, me
non rem ludicram, joci causa, nemini profutu-
ram pro themate Disputationis Inauguralis mi-
hi elegisse, sed non contemnendæ esse utilitatis
in Naturam & effectus Herbæ Nicotianæ pe-
nitius, nostra præsertim ætate, inquirere. Quic-
quid

quid enim non pauci Medicorum vel scriptis, vel verbis in contemptum hujus simplicis protulerint, nihil tamen impedit, quo minus quotidianus ejusdem usus tum à plebe, tum etiam à Magnatibus magis magisque habeatur in deliciis. Quemadmodum vero, quo frequentior alicujus rei est usus, & operatio in corpus humanum notabilior, eo etiam pluris interesse solet medicorum, accuratam de ea habere cognitionem; ita etiam illi, qui de conservanda sanitate præsentè, & amissa restituenda sunt solliciti, quales hujus Herbæ generales sint vires, quibus individuis conveniat, quos vero ab illius usu expediat dehortari, probe habeant exploratum. Quapropter de eadem Planta, ejusdemque virtutibus magni nominis viri, in diversas licet abeuntes sententias, integros Tractatus componere non sunt dedignati. Inter quos imprimis videatur JOHANNIS NEANDRI, Medici quondam Bremensis, *Tabacologia*: ALSTEDIVS in *sua Encycloped*: ÆGIDIUS EVERARTVS in *Commentario de viribus & usu Tabaci*: JOHANNIS CHRYSOST. MAGNENI *Exercitationes de Tabaco*, & ut alios Botanicos plurimos silentio

tio præteream, proluxa Descriptio Tabaci NICOL. MONARDI in *simplicium Med. Hist. cap. 14.* Nostrum itaque laborem, reliquis in transitu non intactis, in eo potissimum ponendum censuimus, ut effectus illius speciei Tabaci, quam vulgo *Cnaster* vocant, cujus accensi per fistulas ad id confectas fumum attrahendo, Capnophilorum honoratiores delectantur, in diversis subjectis quotidie obvios inter se conferamus, & eorum ex principiis Chymicis & Medicis, quantum fieri poterit, aliquam reddamus rationem. Faxit Numen supremum, ut omnia cedant in sui gloriam, Artis Medicæ incrementum & proximi salutem!

CAPVT I.

Herbam Nicotianam Botanice & Chymice considerat.

S. I.

TAbacum, Tobacum, Tabacca, Tubac, Tabaco, Nicotiana, Consolida Indica, Petum, Theu latifolium *Clus. ad Monard. sana sancta Indorum. ad Lob. Ger. Hyoscyamus Peruvianus. Dod. Herba sanctæ crucis foemina. Cast. Perebecenac, Oviêdo, Lugd. Tornabona. vid. BAVHIN. in Pinace Libr. V. Sect.*

scriptis,
cis pro-
us quo-
m etiam
eatur in
frequen-
a corpus
interesse
bere co-
servanda
sunt so-
nt vires,
ro ab il-
ceant ex-
ta, ejus-
, in di-
os Tra-
Inter
EANDRI,
ia: AL-
EVERAR-
Tabaci:
itationes
os silen-
tio



I. pag. 169. Toback, Nicotian, Indianisch Wund-Kraut,
Heilig Kraut.

§. II.

Nicotiana appellata fuit hæc herba à JOHANNE NICOTIO, Regis Gallix Consiliario, qui, cum Legati munere fungeretur, eam accepit Ulyssiponæ à Belga è Florida Insula allatam, cujus deinde notitiam Anno 1560. ad Gallos transferebat. Nomen *Tabaci* huic Herbæ Hispani primi imposuerunt ab Insula quadam ejusdem nominis, copiosissimo hujus proventu insigni. Secundum MONARDVM legitimum nomen apud Indos est *Picelt*.

§. III.

Optime hanc Plantam descripsit modo citatus NICOL. MONARDVS in *Simpl. Med. Hist. Cap. XIV.* quem fere omnes, qui aliquid de hac Herba litteris consignarunt, sequutos esse video. Magna altitudine assurgit, & interdum malum Assyriam, quam Limonem vocant, æquat, caule recto multis prægrandibus ramis brachiato. Folio mali Assyrii fere, sed ampliore, veluti oxylapathi, colore viridi dilutiore & aliquantulum hirsuto, uti tota Planta est. Florem fert in summis ramis Campanulæ modo, candidum, medio purpurascentem, quo decedente, succedunt veluti capitula papaveris nigri, quibus continetur semen valde exiguum, colore ex cinereo nigricante. Radix crassa est, multifida, lignosa, intus crocea & amara, quæ facile cortice suo delibratur. Aliqua tamen facultate præditam esse non intelliximus. Nascitur plerisque Indiæ locis, humidis præsertim & umbrosis, & exulto levique solo.

Io. Seritur omni tempore: cum vero prodiit, à frigore præservanda est, & secundum parietes plantanda ad eorum ornatum: siquidem toto anno viret, citriorum modo. RUPPIVS cum recentioribus hanc Plantam inter eos refert, quæ flore regulari Monopetalo sunt instructæ. Quorum flos in fundo integer, in margine verò in quinque lacinias divisus est, cui singulò succedit capsula seminalis membranacea polysperma.

§. IV.

Propter sulphur vaporosum & narcoticum, quod huic Plantæ tribuitur, plerumque ab Authoribus recenseri solet in Capite de Herbis Hypnoticis, Solano, Mandragora, Hyoscyamo &c. cum quarum speciebus quibusdam ratione figuræ externæ aliquam habere videtur affinitatem; Licet ipsius etiam Herbæ Nicotianæ species deprehendantur admodum inter se diversæ, quarum multarum, præter nomen & virtutum aliqualem descriptionem, nihil nobis adhuc innotuit. Nobis enim notarum nulla præstabit id, quod relatum legimus de Indis, qui Tabaco utuntur pro sedanda siti & fame per tres vel quatuor dies, pro pellendo omni animi mœrore, pro audacia aquirenda in summis periculis, pro imaginibus libidinosi in somno excitandis, & quæ sunt similia, & apud MONARDVM videri possunt.

§. V.

Nec tamen minus inter se differunt illæ Tabaci species, quæ apud nos in usu sunt. Postquam enim semina in Europam translata ibidem feri, coli & plantari

Strau

HANNE
n Legati
Belga è
n Anno
aci huic
quadam
i insigni.
apud In-

citatus
p. XIV.
a litteris
tudine
monem
is ramis
e, velu-
um hir-
nis ra-
purpu-
ula pa-
iguum,
multi-
ile cor-
æditam
æ locis,
que so-
lo.



tari in ceperunt a variis, ubi crescunt, locis varia sortiuntur nomina. Quæ vero LIBAVII est sententia, hanc herbam nostræ Europæ non hospitem, sed indigenam ab omni tempore fuisse, & Tabaci plantas in Hercyniæ locis magis inviis fuisse inventas, ex quo concludit, semina à ventis ex una Regione in aliam posse deferri, hoc in medio relinquimus. Illud tamen adhuc monendum, Tabacum raro ita in usum trahi, & à Mercatoribus divendi, uti è terra producitur, sed potius variis artificiis utuntur, quo colorem, odorem & saporem gratiores ipsi concilient. Et quoniam illa species, quam Cnaster appellant, omni effectu reliquis præstantior, ex India, at parcius, quam vulgo credunt, advecta, nimio constaret pretio, hinc Belgæ ex tractibus circa Argentoratum, Francofurtum & Hanoviam Herbam indigenam in magna copia convehunt, & laboriosis suis præparationibus exinde præcipuis qualitatibus illi similem conficiunt. De quo inferius dicenda potissimum intelligi debent.

S. VI.

Hujus itaque, ut partes constitutivas certo experimento explorarem, sumsi uncias sex, grosso modo concisas in Retortam vitream immisi & Recipiente applicato, ignem supposui. In principio prodibant nebulæ tenuiores, quæ in vase frigido in liquorem phlegmaticum, sine notabili odore & sapore facile colligebantur. Succedebant nebulæ copiosiores, in humorem abeuntes spirituosum & ærem, quem Spiritum Tabaci vocaverim. Hunc sequebatur oleum, primo subtilius, mox spissum, colore rubini pulcherrimo, quod

quod quasi butyraceum deinde fiebat, ita, ut in collo Retortæ immobile hæreret; ubi etiam & in collo Recipientis copiosa satis spicula Salis volatilil, facile tamen resolubilis, conspectui se offerebant. Inveniebatur autem Phlegma cum Spiritu pondere duarum unciarum, Olei uncia una cum dimidia: Salis volatilil fere scrupulus unus, id quod degustatum Saporis acerrimi esse deprehendebatur. Oleum quoad odorem conveniebat cum oleo Cornu Cervi, magis tamen nauseosum. Igni admotum flammam non concipiebat. Cum Spiritu Vitrioli mistum valdopere effervescebat, fumum copiosum & odorem ingratum à se spargendo, & vitrum, in quo hæc mistura continebatur, adeo incalescebat, ut nuda manu amplius tenere non potuerim. Vascula etiam duo, his liquoribus repleta, si Epistomiis jungebantur, nebula alba, ex effluviis contrariis in aère genita, assurgebat. Caput mortuum, lixivio parato salis fixi notabilem quantitatem exhibebat, reliquum erat terra iners, qualis etiam ab aliis cineribus vegetabilium elixatis remanere solet. Unde cognoscimus, nihil acidi, multum alcalini & Spirituosi volatilil in hac Planta reperiri. Hac igitur pro fundamento posita Analyli Chymica, ad causas Phænomenorum, ab usu Tabaci in Corpore humano contingentium, reddendas pergimus. Quod vero attinet ad vim Narcoticam, sulphuri vaporoso communiter adscriptam, ea per effectus à posteriori illustrari, quam ex principiis Physicis & Chymicis à priori sufficienter explicari, poterit facilius. Siquidem illam ipsam proprietatem, in oleo sine dubio latentem,

B

aliter

aliter indagare non possumus, nisi experimento instituto.

CAPVT II.

Effectus fumi Tabaci maxime
Diæteticos exponit.

§. I.

Vires hujus herbæ generales, ea ratione, qua apud nos fieri solet, fumum nimirum mediante tubo attrahendo, usurpatæ poterunt esse sequentes. Phlegma, si herba in Calice accenditur, vi ignis resolutum & in auras evanescens, parum vel nihil humectare poterit, & si posset, hic tamen effectus, propter reliquas partes calidas & exsiccantes, plane sufflaminaretur. Spiritum consistere existimamus ex phlegmate & ea parte Salis volatilis in illo soluti, quæ lateribus vasorum minus adhærebat. Hoc igitur Sal volatile, acutissimi saporis, cum fumo ore attractum, partibus phlegmaticis temperatum, & liquore Salivali ulterius solutum, saporem in papillulis Linguae exhibet, assuetis satis gratum, interiorum oris & faucium tunicam irritat, quæ irritatio ad glandulas Salivales tum majores, tum minores per totam oris superficiem internam copiose dispersas continuatur, hinc ad uberiores Salivæ secretionem sollicitat: sua volatilitate in recessus profundiores penetrat, pituitam ibi inventam, præcipue in sinibus cavernosis ossis Sphænoidei, incidit, attenuat, fluxilem reddit affluxum humorum versus

sus istas glandulas copiosorem concitat, & à partibus vicinis illuc derivat. Quoniam porro Saliva continuo, & nobis non sentientibus per œsophagum descendere solet, pars istius Salis soluta simul in ventriculum delabitur, humores ibidem existentes reddit Salsiores & acriores, mucosum & viscidum attenuat, transit in ipsum sanguinem, ejus Salia auget, lentorem dissolvit, mucilaginem attenuat, irritat vasa, unde incrementum motus circulatorii, caloris & transpirationis &c.

§. II.

Olei pinguis, butyracei admodum alcalici & urentis saporis pars crassior sine dubio poros tubuli argillacei subit, inhæret varia distantia, spississimum prope calicem, tenuius magis ab illo remote, tubulo colorem nigrum inducit. Hinc etiam redditur ratio, cur tabacum fortius, cujus fumus per tubulum longiorem attrahitur, minus capiti sit molestum. Hoc oleum satis grave, licet parcius cum fumo attractum, & nisi vinculum Salis volatilis intercederet, alias Salivæ non commiscibile, hac tamen ratione ad humorum massam delatum, orgasmum ibidem excitat, turgescentiam inducit & eadem fere præstat, quam Sal volatile, sed potentius. Cineres igitur, ex terra mortua & Sale lixivioso constantes, hic nullius erunt considerationis, nisi quod à quibusdam dentibus fricandis non sine emolumento, imprimis ubi acidum in sanguine prædominatur, adhibeantur.

§. III.

Præcipuam vero operationem Fumus Tabaci in
B 2 par-

partes solidas exserere mihi videtur, ita tamen, ut mirum quoddam temperamentum hic inveniatur fibras motrices stringendi & relaxandi virium. Qui effectus variant, pro varia individuorum dispositione, adeo, ut spasmos & pertinaces vigilias in his, in aliis soporem ineluctabilem eandem herbam eodem modo usurpata[m] producere observemus. De quibus optime iudicabit, qui considerat primos effectus in non assuetis.

§. IV.

Qui prima vice fumum Tabaci ore attrahunt, non quidem omnes, sed eorum tamen plurimi mox nauseam & conatum vomendi percipiunt, vomunt, solvitur alvus, vertigine corripuntur, extrema frigent, interiora calent, succedit sudor frigidus, mentis obnubilatio & somnus demum profundus. Hæc omnia, quoniam in iis, qui sensibiliorem habent nervorum texturam, sæpe accidunt, post quatuor tantummodo vel quinque fumi attractiones, quo brevi temporis spatio ab exigua fumi copia in ipsis humoribus tam notabilis alteratio contingere non potuit, non sine ratione tribuenda esse puto irritationi in Systemate nervoso à fumo factæ, quam spasmi, primo particulares ventriculi & intestinorum, mox universales per totam cutim propagati suo ordine exceperunt, & jam enarrata exhibuerunt symptomata.

§. V.

Quo magis aliquis huic fumo assuescit, eo remissiores fiunt ejusdem operationes in solida, iis, quas in fluida exercet, nihilominus remanentibus iisdem.

Quo

Quo magis enim insolita & nova alicujus nerveæ fibræ est irritatio, eo etiam vividior in eandem fit impressio, quæ tamen consuetudine inducta, fere evanescit. Id quod exemplis optime illustrari potest. Qui Spiritu Vini utuntur pro roborando ventriculo, illis in principio aliquot guttulæ sufficiunt, quo fibræ ventriculi irritentur, stringantur & roborentur; cum tamen eo abutentes, affatim hausto eodem liquore idem efficere nequeant. Quodcunque medicamentorum genus, ab initio exoptatum exhibens effectum, diutius usurpatum vim pene omnem amittit. Imo extant observationes, ubi venena, alias nocentissima, consuetudine paulatim facta sunt familiaria & plane innoxia. De opio inter alios adnotat SYDENHAMIVS, quod, cum iis, qui illo nunquam usi sunt, ultra granum unum aut duo propinari non soleant, ab eisdem assuetis tamen ad Scrupulum, imo ad dimidiam drachmam devorari singulis diebus sine noxa posse.

§. VI.

Variant effectus Tabaci pro diversitate Climatis.

In Regionibus Æquatori propioribus corpora ab æstu aëris jam satis exsiccata, magis adhuc suo humido destituit, fibras solidas reddit nimis rigidas, sanguinis acredinem & calorem auget, sero suo privat & ita ad secretiones tandem reddit ineptum, &c. Econtra vero in terris Septentrionalibus corpora phlegmatica, sanguine nimis seroso, lento & viscido instructa, in meliorem statum deducit, partes solidas à torpore excitat, stimulat, actiones languentes intendit, humores

1, ut mi-
ur fibras
i effectus
adeo, ut
soporem
o usurpa-
time judi-
ffuetis.

unt, non
mox nau-
unt, solvi-
igent, in-
tis obnu-
ec omnia,
nervorum
tummodo
temporis
ribus tam
n sine ra-
nate ner-
articulares
per totam
m enarra-

eo remis-
s, quas in
is iisdem.
Quo



attenuat, fluxilitatem illis restituit majorem, atque hæc maxime vi acris sui Salis, quod à Saliva solutum in humorum massam transire posse superius deductum est. Monendum tamen, tum hæc, tum quæ sequuntur, de eo tantum esse intelligenda, quod fit ut plurimum, exceptionibus omnino admissis.

§. VII.

Ratione ætatis sequens valet Præceptum: Quo quis juventuti proximior, eo etiam magis à Tabaci usu læditur, Senes autem egregie juvantur. Ante annum vigesimum juvenes ab ejus usu omnino arcendi sunt. Cum enim præcipuum emolumentum, quod in corpora exinde redundat, in fundenda & elicienda pituita consistat, facile quilibet perspicere poterit, Senectuti maxime dicatum esse hujus herbæ fumum.

§. VIII.

Quoad Sexum, si secundum principia Physica hujus herbæ, & fundamenta Medica judicare volumus, & mulieres tenacitate & visciditate humorum magis abundare, quam viros nobis conceditur, aliter pronunciare non possumus, quam illis magis idoneum & salutarem esse Tabaci usum, quam sexui præstantiori. Id quod experientia etiam testatur illarum, quæ hodie non minorem, quam viri, Tabaci consumunt quantitatem, & optima simul fruuntur sanitate. Cui sententiæ, si quid objici posset, esset forsan peculiaris illa fibrarum nervearum in fœminis teneritudo, quæ efficiat, ut diuturniorem & à Tabaco fortiori, vehementiorem irritationem absque metu subsequaturæ atoniæ

niæ tolerare nequeant. Præterea mundities, cui apud hunc sexum in tanto pretio habitæ Fumosæ istæ delicæ obstare videntur, in causa est, cur paucissimis earum hucusque placere potuerit.

§. IX.

Quemadmodum secundum Hippocratem varia Anni tempora varias in corpore humano producant mutationes, quibus ad hunc, vel illum morbum plus minus sit dispositum; ita non spernendæ erit utilitatæ ad legitimum Tabaci usum rite determinandum, illorum Anni temporum etiam habere rationem. Ex illis vero, quæ supra explicata sunt, cuilibet facile patere potest, tempus æstivum ejus usui minime convenire, maxime favere Hyemem: Et quoniam tempore Veris & Autumni Catarrhi, fluxiones, Coryzæ, Tusses &c. frequentius grassantur, hinc istis temporibus à multis loco Medicinæ tam præservatoriæ, quam curatoria in usum trahi observamus.

§. X.

Tempus matutinum, imprimis si aliquot cyathi Decocti Herbæ Thée simul sorbillantur, usui fumi Tabaci commodissimum esse videtur, tunc animi ad quævis obeunda negotia reddit alacrem & plerisque solvit alvum. Immediatè post pastum majorem post se trahere noxam videtur, de qua peculiaris Dissertatio ante aliquot annos hic habita videri potest; consistit autem potissimum in eo, quod Salivam, quæ alias in ventriculum ad promovendam Digestionem defluxisset, subducatur, & in genere determinationem spirituum animalium

lium à negotio Concoctionis avertat. Tribus autem vel quatuor horis post prandium, si sub usu Potus Caffee fumus Tabaci, quem Cnaster vocant, adhibetur, salutaris effectus expectari potest. Qui autem ejusdem usum in mediam usque noctem protrahunt, magnam quantitatem cerevisiæ affatim simul ingerendo, illi sequenti mane molestum & valde ingratum in ore percipiunt saporem, & mucum glutinosum oleosis foetidis Tabaci particulis imprægnatum, gingivas & dentes corrumpentem, nec non faucibus adeo tenaciter inhærentem, ut, dum per sreatum ejicere conantur, ventriculus sæpe trahatur in consensum & fiat vomitus. Os igitur, antequam lecto se committant, Aqua fontana eluendum est.

§. XI.

De Copia Tabaci singulis diebus consumenda nihil certi in genere determinari potest; variare enim debet, pro cujuslibet individui peculiaribus & diversis circumstantiis. Modice tamen usurpatum semper majorem exhibebit voluptatem & corpori magis erit proficuum. Siquidem illi, qui, nullo servato modo, tubulum tabacarium die noctuque ab ore fere non dimittunt, necessario corpori morbosam inducunt exsiccationem & NARDVS, ANTONIVS, RECCHVS *Lib. V. Rerum Medicarum Novæ Hispaniæ pag. 174.* observavit, quod ii, qui auxilio Tabaci frequentius, quam deceat, uti affuescunt, reddantur decolores, linguam gestent squalidam & palpitans guttur; hepatis ardore afficiantur, & in Cachexiam ac Hydropem lapsi, mortem tandem obeant.

§. XII.

§. XII.

Merito tamen dubitamus, an fides adhibenda sit illis observationibus, quas SIMON PAVLLI in *Commentario de Abusu Tabaci* ex HOFFMANNI *Lib. II. de Medicam. officinalib. Cap. CXI.* qui idem relata tantum, non propria observata, narrat, recenset: „ REGEM scilicet, „ MAGNÆ BRITANIÆ JACOBVM publice in *Oxonienſi* „ Academia disputasse contra hanc fatuitatem: Ostensis „ exemplis eorum, qui laborassent quidem diu insanabilibus „ pectoris morbis, deliriis, insomniis, convulsionibus &c. post „ mortem autem inventi fuerunt, pulmones habuisse totos „ nigros ac retorridos, non secus acsi fumo indurati essent. Idem HOFFMANNVS se audivisse affirmat à militibus in Belgio versatis, vidisse se capita dissecta eorum, quibus patera Cerebri ab Anatomicis dicta, tota interius esset nigra, licet à Carnifice interiissent. Audivit etiam à Patritio Norico qui in superiore Bello Bohemico vidit, omnes, qui in conflictu cum hostibus interiierint, Anglos habuisse talia capita. Sed hæc ex auditione aliorum nimis dubie relata sequentibus duabus impugnantur rationibus. Nulla procul dubio ætate fumi Tabaci usus tam frequens & tam late diffusus fuit, quam nostra, adeo, ut ejusdem sumptus singulis fere annis augeri observatum sit, & hodie capita sæpe dissecantur eorum, qui præ reliquis Capnomania laborarunt, in quorum tamen Cranio, Meningibus & Cerebro nulla præternaturalis exsiccatio, multo minus denigratioprehenditur. Studio prætereo, quod, me etiam non monente, quilibet intelligit, ita affectos, cum Cerebris suis fumo induratis tam exoptata frui sanitate, & vitam tam diu protrahere non posse. Deinde, hoc fieri non posse, à priori

C

de-

ous autem
Potus Caf-
adhibetur,
n ejusdem
magnam
do, illi se-
ore per-
coſis fecit-
as & den-
renaciter
conantur,
fiat vomit-
ant, Aqua

menda ni-
iare enim
& diverſis
n ſemp̄
magis erit
to modo,
e non di-
unt exsic-
HVS *Lib.*
bſervavit,
m deceat,
m geſtent
dore affi-
l, mortem

§. XII.

demonstrari potest ex Capitis consideratione Anatomica. Nullæ enim ex ore in cavitatem Cranii patent viæ, sed potius omnes illæ rimæ & foramina in basi Cranii, per quæ vasa sanguifera & Nervi ingrediuntur & exeunt, inferius membrana mucosa, superius Dura Matre exacte clauduntur, ita, ut, his probe examinatis, de aliquo fumi transitu ne suspicio quidem oriri possit.

§. XIII.

A vivendi genere & diætâ magna etiam dependet effectuum Tabaci diversitas. Qui diuturnis se committunt peregrinationibus, & vel Navibus vel rhædis vesti sub aere libero diutius versantur, illi hunc fumum optime & cum emolumento ferunt. Qui victu utuntur crasso & calido, potibus spirituosus & vinosis, nisi peculiaris aeris temperies concurrat, ut in Belgia, ubi fumum Tabaci cum potu Spiritus vini sine noxa jungere licet, illis plerumque Tabaci usus propter nimiam sanguinis exæstuationem valde molestus est. Unde fit, ut in illis Regionibus, quæ vini proventu abundant, & ille liquor spirituosus pro potu ordinario est, parum aut nihil Herbæ nicotianæ comburatur, nisi forsitan ab aquæ potatoribus, ad quam infimam plebem hujus fumi usum pertinere arbitrantur. Qui vero cerevisia tantum utuntur, pro condimento adhibent Tabacum. Utraque simul in nostro Climate intemperantius usurpata sine inevitabili sanitatis dispendio stare non possunt.

§. XIV.

Qui litterarum studiis, profundis meditationibus & assiduæ librorum lectioni se consecrarunt, illi sæpe animum torpentem Tabaci fumum attrahendo excitant,

tant, & majori attentione quælibet perspicere sibi videntur. Id quod duplici modo obtineri posse censeo, partim affluxum sanguinis versus caput, hinc Spirituum animalium secretionem augendo; partim fibrillas nerveas irritando, qua irritatione ad ipsum Cerebrum propagata, fibræ medullaris substantiæ in perpetua activitate, vel ad prompte agendum aptitudine conservantur. Si vero ejusdem fumi usu ingenium acui contendunt non nulli Capnophili, hoc ita intelligendum esse existimo, quatenus in Phlegmaticis, quorum Cerebrum nimia humiditate ultra modum relaxatur & quasi suffocatur, illa subtrahitur; ea tamen ratione, ut non fiat exsiccatio à fumo immediate ad cerebrum accedente, sed potius dum in tota massa sanguinea superius explicato modo copia seri imminuitur universaliter, & particulariter irritatione in summis faucibus facta à Cerebro derivatur, non, quod quidam putant, per peculiare & apertas vias, sed quatenus secretionem in illius loci glandulis aucta sanguis arteriarum carotidum, antequam ad cerebrum perveniat, potiori seri parte privatur.

§. XV.

Ad Sanitatem igitur conservandam & morbos præcavendos utiliter hoc fumo utuntur Phlegmatici, his proxime Melancholici, Cholericis vero & Sanguineis cum majori circumspeditione & remissius adhibendo. Cujus rei rationes ex antecedentibus cuilibet facile patere possunt.

§. XVI.

Dantur etiam individua, quæ ob peculiarem & inexplicabilem idiosyncrasiam, quoties periculum faciunt,

e Anato-
nii patent
na in basi
rediuntur
rius Dura
aminatis,
iri possit.

n depen-
turnis se
vel rhæ-
hunc fu-
Qui victu
& vinosis,
in Belgia,
sine noxa
propter ni-
lestus est.
proventu
ordinario
uratur, nisi
imam ple-

Qui ve-
o adhibent
ate intem-
dispendio

tationibus
t, illi soepe
endo exci-
tant,

ciunt, fumum Tabaci attrahendo, toties ea experiuntur symptomata, quæ eidem non assuetis contingere supra docuimus: & licet vel centies reiteratis per intervalla vicibus idem experimentum repetant, eandem tamen semper exinde patiuntur molestiam; Alii vero, his multo delicatiores, omnium eorum, qui Tabaco utuntur, fugiunt societatem, neque hunc odorem è longinquo licet percipientes sine multa anxietate & metuendo animi deliquio tolerare possunt. His itaque nec prodesse, nec sine sanitatis periculo suaderi poterit.

§. XVII.

His è directo opponuntur alii, qui vel prima statim vice fumum Tabaci cum voluptate sugunt, vel saltem procedente tempore illum sibi adeo reddunt familiarem, ut ne duos quidem, aut tres dies sine maximo illius desiderio transigere possint, & extant sane exempla eorum, qui eo diutius destituti Lipothymiis corripiti soliti sunt. Cujus mirandi appetitus ratio ita forsitan non inepte reddi poterit: Diurno fumi Tabaci usu copiosus humorum versus glandulas salivales concitatur affluxus, quæ, irritatione à fumo facta, in majori, quam alias solet, quantitate secernitur; cui negotio Natura tandem assuescit, & continuo multam lympham versus ea loca trudit, quæ vero, hoc deficiente stimulo, in vasis lymphaticis & glandulis hæret, nec sufficienter se- & excernitur, unde ibidem sensus repletionis, irritationis titillantis, per fumum Tabaci tollendæ.

§. XVIII.

Propter eandem rationem illos, apud quos hæc consuetudo jam altera facta est natura, si ab usu Tabaci

ci

ci iterum discedere cupiunt, monere decet, ne hanc mutationem nimis subito instituant. Omnis enim mutatio subita Naturæ est inimica. Sed potius quantitatem Tabaci, singulis diebus consumendi, per gradus imminuendo, Naturæ concedant moram, ut eandem feri copiam sensim sensimque ad alias vias derivare, & per illas excernere possit.

§. XIX.

Quamobrem illi etiam fallere & falli videntur, qui usum Tabaci ob id rejiciendum putant, quoniam sub eo notabilis exspuendo rejicitur Salivæ, humoris ad alimentorum concoctionem admodum utilis & necessarii, quantitas. Quodsi enim hic fumus acrior proventum liquidi salivalis non augetet, & Tabacophili omne, quod in ore confluit, exspuerent, nec solito copiosorem ingererent potum, tunc omnino illorum sententiæ libenter subscriberem; sed quoniam hæc omnia contrario modo se habere observantur, & ita se habere quotidiana confirmat experientia, facere non possum, quin hac in parte innocentiam hujus simplicis defendam.

§. XX.

Minus tamen convenit in iis, qui corporis habitu gaudent strictiori, fibris solidis exsiccatis, nimis rigidis, sanguine falso, acri, temperie generali sicca, calida, corpus habent gracile, exsuccum, sunt iracundi, Scorbutici, Cachectici, ad febres hæcticas & Phthisin proclives, qui sunt valde Plethorici, ad sanguinis orgasmos, febres cholericas, acutas & inflammatorias dispositi &c. Egregie e contra adjuvat Phlegmaticos, pituitosos, senes, catarrhis, tussi humidæ, raucedini, Coryzæ, op-
pletionibus pectoris, oculorum fluxionibus, febribus

periontur
gere supra
intervalla
m tamen
vero, his
aco utun-
è longin-
x metuen-
aque nec
terit.

prima sta-
nt, vel fal-
unt fami-
e maximo
ne exem-
niis corri-
io ita for-
mi Tabaci
vales con-
ta, in ma-
cui nego-
ultam lym-
deficiente
æret, nec
ofus reple-
Tabaci tol-

quos hæc
usu Tabaci



catarrhalibus, quartanæ & forsan etiam tertianæ obnoxios &c.

§. XXI.

Qui assiduo fumi Tabaci usu delectantur, si quando ejusdem saporem minus gratum, imo fere nullum percipiunt, imminentem sibi morbum prædicere solent. Sicuti enim omnis Sapor à Sale, Salia autem non agunt nisi soluta, & sub morbi initio menstruum solvens, id est, Saliva vel parcius omnino secernitur, aut vitiosa, hinc hujus phænomeni ratio petenda erit.

§. XXII.

Ab abusu fumi è Tabaco fortiori Saporem posse depravari & multum obtundi, quemadmodum ab abusu Tabaci pulverisati naribus excepti odorem in quibusdam modo non aboleri observamus, non proflus eo inficias. Veritati enim est consentaneum, fibrillas & papillas nerveas Linguæ, si fortioribus his irritationibus sæpe ad dolorem usque diutius assuescunt, obscuriores à Salibus mitioribus inductas agitationes percipere non posse, & callo quasi obducto, quale quid in Organis Tactus videmus, ad sensum tandem fieri ineptas.

§. XXIII.

In nullo sane affectu apud nostrates frequentius adhibetur fumus Tabaci, quam in dolore dentium, cujus plerumque præsentaneum existit remedium: his ramen sub conditionibus: Si Odontalgia est à fluxione serosa, propter lympham in vasis capillaribus circa Gingivas stagnantem, pressam & fibras membranaceas dolorose distendentem. Deinde, qui auxilium indesperare volunt, non jam antea eidem debent esse nimis

mis affueti, quo in casu parum aut nihil efficere poterit. Id quod ad reliquas etiam fluxionum Medicationes, eodem remedio peragendas, applicari debet.

§. XXIV.

Fumum Tabaci exterius, nisi in oculorum inflammatione leviori, quæ illius crebriori afflatu non nunquam satis feliciter dissolvi solet, adhibitum vix comperimus, nisi forsân, quod jam citatus MONARDVS de Indis narrat, eos folia Tabaci comburere & fumum mediante tubulo ore & naribus excipere, ut extra se quasi rapiantur, & de suorum negotiorum eventu, ex insomniis, quæ apparuerint, præsagia formare possint. JOHANNES HEVRNIVS *Lib. I. Method. ad pr. eundem fumi usum commendat ad caput à pituita &, nescio quibus vaporibus, purgandum.*

§. XXV.

Quoniam præcipuus nostræ tractationis finis eo erat directus, ut effectus, quos Fumus Tabaci, vulgo Cnâster, in corpus exercet, traderemus, prolixiori superfedemus Descriptione reliquorum utendi modorum & variorum, quæ in Officinis reperiuntur, preparatorum, quorum singulos effectus fusius persequi nec locus, nec tempus patitur; obiter tamen terigisse sufficiat. Vires hujus Plantæ travmaticæ magnis extolluntur laudibus, si succus recenter expressus vulneribus, venenato etiam telo inflictis, instillatur, & paulo post inspergitur pulvis foliorum aridorum. Folia calefacta & imposita leniunt quemcunque dolorem. Masticata apophlegmatizant, & FRANCISCVS HERNANDEZ in *Rerum Med. Nov. Hispan. thesaur. Lib. V.* refert: Parari in India ex foliis Tabaci arefactis contritis decem partium mensura, & una calcis Medicamentum, adeo ab Indis omnibus expertum & venale, ut illo ferveant emporia. Hoc gestari inter buccas & maxillas, & efficere suavem somnum, oculos claros, mentis tranquillitatem, laborum oblivionem, agilitatem &c. Folia exterius applicata digestionem promovent, vermes expellunt, Nephriticis & flatulentis doloribus medentur, affectionem hysterica

sopiant,

sopiant, arthritidem mitigant, perniones sanant, venenis resistunt, ulcera consolidant, tineam capitis curant, & nescio quid non, quorum fides sit penes Authores. In nostris Officinis preparatur Aqua ex foliis, Syrupus de Nicotiana, Athmaticis dicatus, oleum stillaticium & per infusionem paratum, vulnerariæ virtutis, Sal ex cinere, mul-tum cum nitro affinitatis habens. Unguentum de Nicotiana & Balsamum.

§. XXVI.

Et hæc quidem pleraque de Fumi Tabaci in corpus humanum efficacia, qualitercunque illustrata, huic Dissertationi imponerent finem, nisi quædam superessent, quæ ad animum, tanquam nobiliorem hominis partem, spectant. Ex eo enim tempore, quo usus fumi Tabaci apud Europæos invaluit, semper fuerunt, qui, fragilitatis humanæ memores, inter eam & Tabacum instituerent comparationem. Nobis, præ aliis multis, placuit elegans Carmen, quo JOHANNES HENRICVS PAVLLI in hymnum ad Tabacophilos a CAROLO BONAMICO conscriptum, ita ludit:

Quid sit vivere, quid reapse vesci
 Sit illâ æthereâ Maronis aurâ
 Si cognoscere quem capit libido,
 Cum Tabacophilis bibat Tabacum,
 Et tubo genitos trahere vapores,
 Et reddet tenuem per ora fumum.
 Recte conveniunt. Perinde vita
 In leves cito dissipatur auras;
 Cum non aëra spiritumque nobis
 Fas sit ulterius reciprocare,
 Extincto calido, quod instat ignis
 Omnes corporis impulit canales.
 O pulchra effigies! uterque tandem
 Vergunt in cineres: Homo, Tabacum.

T A N T V M.

01 A 6505

7

ULB Halle 3
002 937 298



kur 10. Stck 7A-70C
bücher verknüpft

V.D.R. V.D.R.





adversum
ic certum
ent se jam
das esse
Trepidat
fucinus
hyssa
a temp
rigus
artus
medic
x refu
entia
sensu
um dur
renite
em mi
nt allat
etos pe
am off



Farbkarte #13

B.I.G.



10.

MEDICA INAVGVRALIS,
DE
**EFFECTIBVS
BVS ET NOCIVIS,**
QVAM,
O. DVCE ET AVSPICE,
VERSITATIS MAGNIFICO,
LI ET CONSVLTISSIMO
JAC. REINHARTH,
REI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSBSSORE,
PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSVLE,
SECRETO INCLYTÆ FACVLTATIS
AC PER-ANTIQA HIERANA,
B PRÆSIDIO
S JOANNIS STAHLII,
LECT. MOG. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM.
OFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD.
VITAT. ERFORD. CONSVL.
MOTORIS SVI COLENDISSIMI.
LICENTIA
MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
IA LEGITIME OBTINENDI,
RVM DISQVISITIONI SVBMITTET
OR ET RESPONDENS
POTTLIEB TIEROFF,
Rübendorff. Varisc.
I COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
MARTII A. R. S. M DCC XXXII.
H. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

